

Wienbibliothek im Rathaus

**T** 310145 **A**

---

MA 9 - SD 25 - 032010 - 21A





Ich hab' die List - und weiß  
ich gar nicht, wie meine Lecture  
wird nicht sein?

Was Ende finden ich noch  
die unvollkommene Handchrift  
das Fortschritt die Prospekt  
Wunderliche mir  
möglich - ein an Leben  
wird auf bei mir  
gar nicht nicht folgen.

Zu. Sie sind in. Person  
bisher unbekannt

Der Landwehr - Bibliothek  
gemeinlich von

Herrn J. J.

BIBLIOTHEQUE  
MUSEE  
VERMOREL  
MUSEE  
VERMOREL

EX 1711

D E  
A R T E  
A M I C I T I Æ

PARANDÆ, CONSERVANDÆ,  
ET DIMITTENDÆ,

LIBRI TRES

HONORIBUS

ILLUSTRISSIMORUM ;

REVERENDORUM, SPECTABILIUM,

NOBILIUM AC ERUDITORUM

DOMINORUM DOMINORUM

N E O

BACCALAUREORUM,

C U M

In Alma, ac Regio-Principali Academia

Claudiopolitana Societatis JESU Primâ AA. LL.

& Philosophiæ Laureâ condētorarentur

P R O M O T O R E

R. P. STEPH. KAPRINAI

è Societate JESU, AA. LL. & Philoso-

phiæ Doctore ; ejusdēmq̃

Professore Ordinario ;

A B

Humanitate Claudiopolitana

O B L A T I

*Anno M.D.CC.L. Mensē*

*Die*

---

Claudiopoli, Typis Academicis Societatis JESU.



T A 310 145

Ma A

74332



IN: 505.257

Luminis Author



*Cernis in amplexum sol stellas pertrahit omnes,  
Illis, dum nitidam, fundit, ab ore facem.  
Fax tua sit sincerus amor, sint stella sodales,  
Ure face hac socios mox mihi Phæbus eris.*



10

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
540 EAST 57TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637



ILLUSTRISSIMI,  
REVERENDI. SPECTABILES,  
NOBILES, AC ERUDITI  
DOMINI DOMINI  
NEO-BACCALAUREI.

**Q**Uam nihil hominibus certum sit,  
nostro minus quidem expectato, probato  
tamen exemplo didicimus. Cogitabamus  
enim verò nos diu multumque pro nostro  
in Vos & officio, & studio etiam singulari, ut primam  
Philosophicæ Lauream capeissentibus Vobis munere ali-  
quo scholastico faveremus, quod Vestrâ non minus,  
quàm Reipublicæ interesset. Sed enim malè nobis stu-  
dia, & cogitationes, & spes prope omnes verterunt.  
Cum enim opus jam isthoc pro instituto scribere aggressi  
fuissimus fortunâ incidit nobis Paupertina, & curta  
admodum Apollinis nostri suppellex, quæ cum angusti-  
or esset, quàm quantum ad impressionem suscepti operis  
satis esset, ceptum destitimus, & ab instituto nego-  
tio vel invitati abivimus. Itaque nobis de spe certa, &  
meliori deturbatis, relinquebatur tamen spes quædam  
incerta, quam Viri cujusdam in paucis eruditi, illu-  
stris;


stris, & magno (quod ajunt) theatro spectata in rem  
literariam munificentia excitabat. Hac igitur spe  
recreati, cœpimus de integro curas nostras colligere,  
& cogitationem omnem, curâque in Amicitia Ar-  
tem conscribendam advertimus, eâque in tres li-  
bros divisam Honoribus Vestris in præsens dedica-  
mus. Accipite debitum gloriae Vestrae vectigal,  
quod si minus eruditos animos Vestros delectare; do-  
cere certè quidem potest, quo pacto intimam melioris  
cujusque familiaritatem devinciatis, devinctam co-  
latis, & conservetis, cultam, si usus ferat, subinde  
etiam dimittatis. Minus quidem scitè, quàm pro  
gloria Vestra hoc opus exegimus, fortuna tamen est,  
quod Vobis opus tam rude inscribere contigerit, ex  
quorum glorioso capite in nostros etiam pedes nonni-  
hil lucis redundare potest. Valete de cætero DD. Neo-  
Baccalaurei & hoc nostrum quale quale in Vos studi-  
um æqui bonique consulite. Nos etiam debinc nibilo-  
minus gloriae Vestrae studiosi degemus

Honoribus Vestris

Additissimi

POETÆ CLAUDIOPOLITANI.





D E  
**A M I C I T I A**  
**LIBER PRIMUS.**

DE AMICITIA PARANDA

*An mature? unus an plures? Quales, & qua  
 arte probati sunt Amici parandi?*



Scribimus ingenui quam jungantur amici

Arte : fave cœptis Phœbe benigne meis

Arte decus rebus ; quæruntur & arte sodales

Arte paratur honos , arte paratur amor.

Ars peperit magnus nunc quidquid suspicit orbis

Illa rudis fuerat gloria prima soli.

Arte nitent Urbes : ædes miramur ab arte ,

Quæque potens orbis nunc pretiosa colit.

Et quota pars artis spirantes pingere formas ?

Attamen his quantus venit ab arte decor ?

Artifici in tabula , moriturum suspice JESUM ,

Num verum ferme de trabe pendet onus ?

Si cernas lacrymas , quas hæc , mentitur imago ,

Non poteris lacrymas , ipse tenere , tuas

Sed lacrymare ! vides Christus lacrymatur & ipse ?

Et subit artificem lignea forma necem.

Adde suam formæ vocem, mox illa loquetur,

Sic moriens etiam vivit in arte DEUS.

Ars etiam excoluit Cererem, nî fallor, Osiris

Primus, araturos duxit in arva boves.

Olim nulla dabat cerealia semina tellus,

Nec vitiô cœli, palluit ulla seges.

Non labor ullus erat, veteres renovare novales,

Finitimus, tulerat nec sua ferta, lapis.

Sylva domum, vitæ, præbebat munera quercus,

Utque rudis tellus, sic rude vulgus erat.

Sed rudis est, arte inventa, correcta vetustas.

Quernaque glans victa est utiliore cibo.

Nunc niger excultis operatur arator in arvis

Nunc veniunt faciles, sub juga panda, boves,

Utque ager, artifici sic alno, pontus aratur :

Ars etiam in mediis ( cerne ) triumphat aquis.

Arte etiam comites, socialis turba, parantur,

Et solum fato dissoluenda fides

Ut Pyrus, & pomus truncum junguntur in unum,

Fitque soror junctæ, pomus amata pyro :

Ut sibi consociam vitis complectitur ulmum,

Inque ulmi amplexu facta pudica rubet,

Sic animos ( qui non fuerant ) ars reddit amicos,

Inque unum cogit pectora bina locum

Hanc tibi ( quisquis ades, linguâq; animo q; faveto )

Præcipit imparibus nostra Thalia modis.

Hæc tibi, si sequeris, pede clauda Thalia præbit,

Sed sequere : est quamvis Clauda, Magistra tamen

Nec



Nec mirare pedes , quod clauda sit ista minores ,  
Cernis amicitiae vincula , vincta docet.

Hæc tibi , quosve legas , & qua ratione docebit  
Musa , per undenos emodulanda , pedes.

Prima , legas quales , pars est : Pars proxima , pacto  
Quo sit amicorum turba paranda , docet.

Hic modus : hæc nostro signabitur area curru  
Hæc erit admiffa meta terenda , rotâ

Dum licet , & loris , passim potes ire , solutis ,  
Aptandus lateri dulcis amicus erit.

Quære aliquem Pyladen , qui te comitetur Oresten ,  
Et tibi Theseâ pectora junge fide.

Quære , nec hanc curam venturas differ in horas ,  
Quis scit , ad hanc curam cras minus aptus eris ?

Nescis heu nescis ! quid crastinus adferat ortus ?  
Optima amicitiae proxima quæque dies.

Nam mora dat vires , junctum mora firmat amorem ,  
Firmantur longo vincula fida die ,

Candida quæ teneris concordia cœperat annis ,  
Venit ad albentes illabefacta comas

Jamque statim , primis , qui te dilexit , ab annis  
Acrius ( hoc notum est ) diliget ille senex

Namque amor assiduo , fidus sic crescit ab usu  
Crescere ut à tenera stirpe myrica solet

Nec tantum , quia junctus amor duratur ab usu ,  
Præcipio fidei tempora prima tuæ ;

Sed quia , quam vivis , lento pede præterit ætas

Nec bona tam sequitur , quàm bona prima fuit.

Dum vivit moritur , dum carpit , carpitur ætas ,

Omniaque in pejus , cum fugit ipsa , trahit.

Invida res tempus, sua se per puncta trucidat,  
 Se pariter fugiens, se pariterque sequens  
 Non fuit antiquis male fabula prodita chartis  
 Quod genitor sobolem commolit ipse suam  
 Nempe: est tempus edax menses, consummit, & años  
 Séque fluendo parit, séque fluendo necat  
 Utque necat seipsum tempus: sit omnia, secum  
 In pejus, cursu deteriore, trahit  
 Sic aliquas numerans pæstans flosculus horas,  
 Fitque senex uno, virque puerque die.  
 Sic aurora facit Juvenem, sol altus adultam,  
 Et vetulam Vesper, sole cadente, rosam  
 Quæ nunc connivent orto violaria soli,  
 Post modico aspicias tempore pulvis erunt  
 Qui nunc Pisæa palmam meriturus arenâ,  
 Currit ab Elæo carcere missus equus,  
 Hunc, post exiguo spectabis tempore, certe  
 Roscida, vix teneras, gramina, carpet opes  
 Et tu deficies. Nam retro lapsa feruntur  
 Omnia. Nil firmum vitreus orbis habet.  
 Quid cessas igitur, primo dum vivis in ævo?  
 Querere in extremos, yñcla tenenda dies?  
 Dum vires, annique sinunt, conjunge sodales  
 Usus amicitiaë, cum quibus esse queat.  
 Ecce statim primis operosus arator in annis,  
 Cessantes tauros sub juga panda vocat,  
 Et subito à Prima jam semen hirundine, terræ  
 Mandat, quæ foetus postea reddat ager,  
 Ecce statim primo jam vitem vere maritant  
 Ut pede sub nudo postea musta fluant.



Tuque moram observa : jam nunc vincire juvabit  
 Unum , cui fidus postea fidat amor  
 Nam quid amicorum cupies tibi jungere turbam ?  
 Non facit ad charam plurima turba fidem.  
 Me duce non plures , uno comiteris Oreste ,  
 Ex uno melius foedere vivit amor  
 Non Pylades uno plures dilexit Oreste ,  
 Euryali , Nifus gloria , solus erat.  
 Hæserat Æneas in solo pauper Achate  
 Pirithoo , Theseus solus , amicus erat  
 Unius Actoridis , quem semper amavit Achilles.  
 Hectoris Illiaci est ore probata fides  
 Quo feror exemplis ? legem hanc natura creavit,  
 Unus ut in gemino pectore regnet amor  
 Quò ergo tibi turbam ? quid plures quæris amores ?  
 Num satis unius pectus amore calet ?  
 Unum Penelope solum dilexit Ulyssen ,  
 Atque Vir , hanc , absens , fecit amatus anum  
 Ænonem , & Pariden , qui prælia miscuit , inter  
 Unus erat , tamen hic , arsit & alsit amor.  
 Quod natura jubet , cur non complectimur ergo ?  
 Quæ , meliora , parens , hac , docuisse potest ?  
 Sed jubet exemplum plures conjungere forsan ?  
 Cesses ! exemplum perdere sæpe solet  
 Cernis ? amicitia sociorum copia pugnat.  
 Nec patitur stabilem turba manere fidem  
 Si duo , tresve fidem socii studiumque requirant ,  
 Quid facies ? cunctis num satis unus eris ?  
 Vere prius Veteres ranæ cantare querelas  
 Cessabunt , regi , subdita turba , Jovis

Ante cadet cœlo , custos Erymantidos ursæ ,  
 Et Boreæ oppositus , cognitus auster erit  
 Quàm tu sic sociis suffeceris omnibus unus ,  
 Et firmam serves hac ratione fidem.

Hic fortassis opem , solatia forsitan alter ,  
 Hic petet auxilium , tertius iste stipem.

Confugiet quartus vestras ad , perditus , aras  
 Ille viæ comitem te volet esse suæ.

Hic quò te vertes , vel cui tua lintea pandes ?  
 Vel cui consilium , vel cui portus eris ?

Non poterit Dominis unus servire duobus ,  
 Nec plures curas conficere una manus

Non simul insequitur cereali semine , prudens  
 Et metit , & rastris versat arator , humum

Seminat autumnò , sed fruges demetit æstu ,  
 Panda sub arcturi sydere rastra regit.

Sed neque tu in plures poteris dispescere curas ,  
 Et cui succurres non nisi solus erit.

Jam verò reliqui , quid vos facietis , amici ?

Quid vobis animi , quid ( rogo ) mentis erit.

Aut ( reor ) hoc quivis dicet : non audior illi ,

Laturum semper quem mihi rebar opem ,  
 Aut non damnatus voti ; male quisque loquetur

De te : sic odii crescere flamma solet ,

Aut te convincent commissi criminis ; aut te

Destituent pariter , cum minus ipse velis ;

Aut tibi diffident , aut temnent , aut tua solvent

Vincula , sic nulli non inimicus eris.

Et dubitabis adhuc confertam quærere turbam ?

Quære memor moniti sed tamen esto mei.



Ne noceant ; plures usu conjungere tutum est ,  
 Quâque licet cunctis parte placere , place.  
 Utere convictu multorum , pluribus adsis ,  
 Multos officio , muneribusque cole  
 Sis cunctis facilis , comis , jucundus , & æquus ,  
 Pro merito quemvis devenerâre suo  
 Obsequium cuicumque potes , præstabis , & ipsos  
 Magnates primum demeruisse stude  
 Utilitas placuisse viris , aut gloria certe  
 Principibus summa est. Hos cole tutus eris.  
 Et bene de Patria meritos , summisque verendos  
 Officiis , annis , consilioque graves :  
 Si sapias , obsequio , & cultu , dignaberis omni ,  
 Quoque potes illis nomine , junctus eris.  
 Quin etiam charos multis , opibusque potentes ,  
 Observes omni cum pietate viros.  
 Hæc res Principium est fortunæ. Qui benè cœpit  
 Hoc iter ire , precor , sic benè semper eat  
 Nec fortuna potest illos violare , Potentum  
 Queis honor , & Dominus Patrocinator amor  
 Nam quem clarorum præsens tutela tuetur ,  
 Supra fortunam constitit ille suam.  
 Quis timeat subitos , communia fulmina , casus ,  
 Qui potuit magnis proximus esse Diis ?  
 Sint etiam æquales aliquo tibi fœdere juncti  
 Omnes , ne noceant dissideantque tibi  
 Horum , ( sic junguntur enim ) violabis honorem  
 Nunquam , nec nigro nomina dente petes ,  
 Horum , ( sic retinentur enim ) sectaberè mores ,  
 Et studia , & quidquid non nocuisse potest



Hos coram propriis , si absint , laudabis amicis  
 Ut possint laudes , nôsse deinde suas  
 His aderes toties , quoties tua forte requirent  
 Consilia : his etiam munera parva dabis  
 Pyxidas , aut quædam peregrini dona laboris  
 Offer , parva quidem munera , grata tamen  
 Quot nunc heu faciunt hæc parvula munera servos,  
 Heu capiunt magnos munera Parva Deos !  
 Sit licet officio clarus , vel sanguine , dicet  
 Mox tamen accepto munere : servus ero !  
 Hoc ego tentavi , successit ( credere durum est )  
 Penè Pater Patriæ sic mihi servus erat  
 Sic est nunc Dominum de servo , munera , servum  
 De Domino faciunt ! experiâre scies.  
 His tamen officiis devinctos inter Amicos  
 Unus , præ reliquis fidus Amicus erit  
 Nam reliqui , qui sunt dicto tibi fœdere juncti ,  
 Sunt modo fortunæ , lubrica membra , tuæ  
 Diû meliora precor ! sed si te fata relinquunt ,  
 Ex his , subveniat qui tibi , nullus erit  
 Nullus erit certè , versa in contraria forte ,  
 Qui tuus in dubia re , comes esse velit  
 Scilicet est rarus , quem non fortuna gubernet  
 Qui maneat stabili , cùm fugit illa , pede  
 Ut veniant faciles , ad candida tecta , columbæ  
 Et quærunt gravidæ fertile gramen oves.  
 Mobile sic quærît fortunæ commoda vulgus ,  
 Nec , nisi , amicitias utilitate probat  
 Si fors intonuit , si cursus cœpit iniquos ,  
 Si subito casu sit labefacta , fugat

Non secus ac pictum, cæca ferrugine cœlum

Cùm rutilum irato spargit ab axe Jovem ;

Tangitur, & frondens, excusso fulmine, quercus,  
Tactaque, quos ramis texerat ante, fugat.

Et velut ad vacuos, non ita formica penates ;

Sic ita ad amissas nullus amicus opes.

Quemque prius multo cingebant agmine, tum, cùm  
Ferretur vento panda carina suo,

Hunc, ubi mutavit vultum fortuna, relinquent,  
Nullus in adversis, qui superaret, erit

Quorsum igitur fugies? quorsum tua carbasa tendes?

Quis tua, qui semper fœdera servet, erit?

Heus ubi terrarum tam fidus vivit Achatès !

Heus ubi tam constans inveniendus erit !

Difficile est, fateor, similes reperire sodales,

Hæc tamen, hic artis, sint data iussa, meæ

Alterius disces exemplo nôsse sodales,

Sæpius exemplum vèra docere solet.

Ut reddunt homines, aliena pericula, cœtos ;

Sic facit exemplum, cautus ut esse velis.

Exemplum, speculum est: & in hoc nôscuntur amici

Sæpius hoc speculum consule, tutus eris.

Ergo age, dum veniant ad vincula chara sodales,

Sit tibi, quid valeat, discere, quisque, labor

Quos habeat mœurs? & quàm constanter amicos ;

Et quàm sincèra mentè, fidèque colat

Prima quidem cognôsse fidem sit cura, patebit

Illa, per hæc, artis, iussa probanda, meæ

Est aliquis, tibi, quem velles sociare ; nec imo,

Quid clausum teneat pectore, scire potes?

Hunc



Hunc tu blanditiis, hunc tu ( sis comis ) honore

Hunc etiam officiis demerere tuis.

Atque ubi, non dubio devinctum pignore cernes,

Fac bibat ad mensam sæpius ille tuam.

Et jubeas illum longas potare salutes

Dum fuerit læto mens hilarata merò.

Post mensam ( hic modus est animos deprèndere furtim )

Artibus hunc, prudens, agrediare tuis.

Non nos has artes, sed noster finxit Apollo

Huic, quod sit mendax, dicere quæque libet

Hic mihi: quæ a focii fidi ratione probentur,

Quærenti, subito talia verba dedit.

Fingas offensæ focium, quem diligit ille,

Et peccati, in te, non levis esse reum.

Illud & illud agit ( declares crimina ) sic me

Inmeritum, telis impetit ille suis.

Sic me traducit: sic me, & mea nomina lædit,

Hic fuit, hæc fecit, talia dicta dedit.

Audiat hic ( fingas testes ) hic proximus illi

( Finge aliquem ) de me dum loqueretur erat.

Omniaque observes, vultusque, & verba loquentis

Hæc tibi amicitia pignora certa dabunt.

Si ducat vultum, & constans defenset Amicum;

Si focii crimen, qua licet arte, levet;

Si taceat, jubeatque modo te mittere questus

Tales, si nec rem, nec tua dicta probet.

Fidus in hoc animus certè latet, istius usum,

In canos jubeo te retinere dies

Huic animi poteris tutò committere curas,

Accipere, & pariter multa tacenda loqui

Hujus

Hujus in amplexu poteris vixisse rapinam  
Hanc modicam, quæ undæ more fluentis abie  
Est etiam tentare animos modus alter Amici,  
Hunc quoque perlecto carmine nôsse potes  
Si verum in socio cognoscere quæris amorem  
Fac semel illius limina tristis adi  
Teque inopem dicas fueris si forsan egenus,  
Quaque potes tacita voce preceris opem  
Per sanctum dicas, & cultum nomen Amici  
Perque sodalitiî, pignora certa, fidem  
Te precor ô sociûm mea spes! tuearis egentem  
Tectaque fortunæ vulnera pelle meæ.  
Pauper, inops, careo cunctis, tamen usque videri  
Dives, amo, noster ne minuatur honor.  
Nec moveare meos, quod vestis contegat, artus  
Cujus de tyrio murice lana rubet  
Sic nunc Pauperiem tyria velamus in umbra,  
Quod sumus, ut nudi ne videamur opum.  
Eheu Sidonio quot nunc insternimur ostro!  
Quorum tres obolos vix habet arca domi!  
In sexiga etiam Dominam nunc fingit egestas  
Per servam hanc, Dominus ne minuatur honor  
Non pudet argento nos nunc obnubere, & auro,  
Aurô, qui vultu pallidiore sumus.  
Peccati quid Bursæ hæret? jejuna nitorem  
Ob Dominæ illa tamen cogitur esse domi.  
Omnes sic cæcavit honor: vix discidit ungues  
Sutor, jam Dominus, jam cupit esse comes.  
Et bene vix tetigere pilos calamistra coemptos  
Et jam spectati poscimus esse viri.



Sic nunc magnificos & inops mentitur honores:

Sic etiam minimis nomina magna placent

Has ego, vel similes cogar miser ire per artes,

Ni fueris cimbæ portus, & aura meæ

Ad te confugio; vestrasque advolvor ad aras

Tu superas fatis ara relicta meis

Et misero auxilium; & opem præstabis amico,

Instant officio nomina bina tuo

Sic tibi Diî faciles; & opis nullius egentem

Fortuniam præstent dissimilémque meæ

Hic precor ô! vocem vultumque adverte sodalis

Ille dabit mentis pignora certâ suæ:

Si subito addicat, si te præstare studebit,

Et tibi sollicito verba secunda dabit

Hunc Duce (quisquis is est) me complectaris Amicis

Hic erit hic vitæ parsque Comésque tuæ.

Si neget auxilium; verbisque excuset amorem,

Si non det faciles in tua vota sonos

Desere; quid lymphas in sicca quæris arena?

Impleat amplexus alter amore tuos

Post hæc ostendunt; quæ veros signa sodales;

Sunt tria: præcipue fors mala, nummus, honor.

His tribus ex signis; velut auri splendor in igne,

Apparet constans; arguiturque fides

Si quis enim fidis nummos postponit Amicis,

Et non vult socio ditior esse suo

Si quis ubi magnos, æris cumulavit acervos

Non temnit sociæ limina nuda domus:

Sed tenuem, cultu non dedignatus, Amicum

Sublevat, & veterem continet usque fidem



Hic vir, hic haud *niger* est, hunc tu *Romane* *fideli*  
 Demeritum nexu, tempus in omne colas.  
 Jam nummis succedat honor, qui vertere mores  
 Assolet, & junctam contemnerare fidem.  
 Nescio quid collatus honor complectitur in se!  
 Certè aliquid vitii, vel novitatis habet.  
 Scilicet inducunt fermè sublimia fastum,  
 Atque hominum crescens, pectora mutat honor:  
 Hinc aliquis pultès, stomachi qui dulcia salvi  
 Fercula, pro tortis novit habere domi:  
 Quisque suburbanas, venalia prandia cæpas  
 Sæpè oluit, casulæ vix bene tectus ope:  
 Insuper: & cum Patre puer, versârat aratrum  
 Et baculo, pastor sæpè minavit oves:  
 Hic ubi per literas mediocres cœpit honores,  
 Inque aliquo, titulis clarior esse, statu,  
 Deficit ex seipso totus, magnusque videri  
 Exoptat subitò, qui modò parvus erat.  
 Stemmata contemnit magnis illustria ceris,  
 Et vix non natum se putat esse Jove:  
 Commutat mores, veteres contemnit Amicos  
 Séque putat dignum Nestore, séque Mida.  
 Plusque aliis sapit, & plus se circumspicit, atque  
 Qui induit emeritus pallia sventa sophus.  
 Denique quos fovit, jam dedignatur Amicos  
 Alloquio: Tantum gloria calcar habet!  
 Perfide quisquis is es, quorsum te cæca potestas.  
 Aufert? heu nullo dignus honore coli!  
 Tune potes fidi charissima vincula Fratris,  
 Inventos, propter nomen inane, dare?

Heu crudelis honor, binos, dum diffuis uno  
 Fœdere conjunctos, vulnera quanta facis!  
 Hinc igitur, certum fidas te noscere mentes,  
 Me meliora, novus, jussa docebit honor.  
 Sive togas igitur vigiles, seu pallia docta,  
 Sive aliquis fasces, annua dona, capit.  
 Sive init imperium populi, seu cætera quævis  
 Munera, quæ modo me musa tacere jubet.  
 Hæc precor observes; maneatne insignis honore,  
 Infocium simili, quàm fuit ante fide?  
 An constanter adhuc solitos admittat in usus?  
 Qui pars convictus ante fuere sui?  
 An juvet, & solers, gnævusque ita præstet, ut ante  
 Indeclinatæ munus Amicitia?  
 An studeat sociis? simili cupiatque locari  
 Officii (si fas) ac tenet ille, gradu?  
 Si nihil, aut modicum signis ablutat ab istis,  
 Hujus amicitiam demeruisse potes.  
 Sed tamen optatus sociorum pectore, signa  
 Dat meliora prius, quàm subeatur, honor,  
 Tunc etenim magni quando prensantur honores,  
 Ventilat invidia, gloria magna, faces.  
 Tunc aperitq; animos livor: cum quisq; quod optat  
 Officium, socio præripuisse studet.  
 Tunc variant animi, cupiunt, sperantq; timentque  
 Cuncta cupido timor, spesque aperire solent.  
 Si timet observes, cupidum ne perdat honorem,  
 Heu nimium sociis invidet ille suis?  
 Si sperat, noménque sui malè mordet amici.  
 Heu nimium fratri perfidus ille suo est.



Qui cupit, & cupidus, propriâ privare sodales  
 Fortunâ, cultos, clâmque, palâmque studet;  
 Hujus ab amplexu fugias, ignobilis iste est,  
 Nec facit ad vestram, perfidus ille fidem.  
 Non solet in fidis dominari livor amicis,  
 Quos stâbili verus fâdere vinxit amor.  
 Est etenim socios inter cognatio quædam  
 Una fides, unum cor, simul unus honor,  
 Hinc, geminos inter, quando fit clarior unus,  
 Alter, dimidia parte nitere solet.  
 Sic patuit vobis cœlum commune duobus,  
 O bene Polluci Castor amate tuo!  
 Ex vobis junctis (superi quis credere posset)  
 Fulgida perpetuus sidera fecit amor.  
 Ecce Jovem precibus Pollux reverenter adorat  
 Ut secum, Castor sit quoque stella, rogans:  
 Quod mihi das uni, dixit, partire duobus,  
 Dimidium, toto mûnere, majus erit.  
 Dixit, & alterna fratrem statione redemit,  
 Utile sollicitæ fidus utrumque rati.  
 Usque adeo socii communia reddit amoris  
 Omnia vis! hac vi est majus in orbe nihil  
 Quo magis, ô fidi, sectator fide, sodalis!  
 Noxæ compertos, invidiæque fuge.  
 More leves, animo tristes, nimumque faventes,  
 Laudibus, & verbis, obsequioque cave  
 Et nimum promptos, lætos, nimumque loquaces  
 Dissimiles studio, dissimilesque statu;  
 Non facile adjungas: vel enim te tempore fallent,  
 Vel facient animo multa dolenda tuo.



Quid si præcipiam, nimum ne admittere blandos,  
Vultu, vel verbis in tua vincta velis?

Hoc genus est hominum fallax, hi ut fallere possint  
More canunt calami decipientis aves.

Fistula dulcè canit, volucres dum decipit auceps  
Hique ut decipiant, plurima blanda canent.

Hos tu vel fugias, vel si satis artis habebis,  
Fraudem deludas fraude, dolúmque dolo

Fallere fallentem, virtus non culpa videtur  
Improbis in laqueos, quos tibi tendit, eat

Hos ego - - Quid dico! volui tibi dicere tantum.  
Hos ego - - sed præstat dissimulare tamen.

Majus opus superest: hoc jam memorare juvabit,  
Quo socios pactò fors inimica probet.

Ergo age in adversis, fratres cognosse labores  
Indicium hic si usquam, certius esse solet.

*Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum  
Tempore sic duro est inspicienda fides.*

*Si non Euryalus rutulos cecidisset in hostes,  
Hyrtacidæ Nisi gloria nulla foret.*

Si non Actorides socium servasset Achillem,  
Illiaca nunquam laude probandus erat.

Nempe probant animos; hostes, occasio fures,  
Casus amicitiae, vincula prima, fidem.

Quin igitur curas illorum noscere amicos,  
Quos fortuna manu deteriore premit?

Quin cernis? maneat culto, quis fidus, Amico,  
Postquam fortunam perdidit ille suam.

Rebus in incertis si quis superabit, amorem,  
Qui socio allatâ confiteatur ope:

Si quis erit, qui se præstet memorémque, piúmque,  
Et doleat, socio fata dolenda suo.

Denique si misero rebus succurrat in arctis  
Nec semel astrictam, solvat, amore, fidem.

Hunc tibi perpetuo devinctum fædere, plus, quàm  
Castor Pollucem, tempus in omne colas.

Huic secreta tuæ poteris concedere mentis,  
Non hic, crede mihi, Tantalus alter erit.


Qui sitit in Lymphis, & poma fugacia captat,  
Quod fuerit stulto garrulus ore nimis.

Dum vitam vives (sed quam brevis illa rapina est!  
Quam, pede furtivo quæ venit hora, rapit)

Dum tamen in vita sensim fugiente manebis,  
Perque catenatos fas erit ire dies.

Aut hunc, aut alios, quam scripsimus, arte probatos  
More Patris natos deperientis ames.





PARS SECUNDA.  
LIBRI PRIMI.

*Amici ritè probati quo pacto sint  
conciliandi?*

**H**Actenus, adjungas quales, & qua arte probatos  
Præcipit imparibus vecta Thalia modis.  
Nunc tibi, qui placuit, qua sit capiendus ab arte  
Dicere præcipuæ molior artis opus.  
Quisquis ubique viri, faciles advertite mentes,  
Carminibusque favens vulgus adesto meis.  
Non ego, sed virtus vobis, pro me, ipsa loquetur,  
Illa dabit metricis optima iussa modis.  
Hanc ego ( si memini, memini tamen omnia ) vidi  
In sæptis nuper Lojolis alma tuis,  
Hic ego suffusa lentus spatiabar in umbra,  
Fructus & in digitis unus & alter erat.  
Et modò ( nam s'iberant multi violaria floris )  
Carpebam summa lilia casta manu.  
Et modò ( qui non sum ) fingens tamen esse Poëtam  
Tentabam capiti plectere ferta meo.  
Cum libet in fascès, violásque rosásque ligabam,  
Dèque manu in nares venit amenus odor,


Nunc



ad te Conversio nostra .



*Hic flos naturā solem , diētante salutat ,  
Serò vale Phæbo mane precatur ave  
Hujus ad exemplum floris ; quos jungere poscis ,  
Illis sæpe vale sæpe preceris ave.*



Nunc Hyacinte tēnes, nunc nos amaranthe moraris,  
 Nunc tyma, nunc chaltæ, nunc mihi myrtus olent.  
 Tempus erat, quô sol medias contraxerat umbras,  
 Inque pari spatio vesper, & ortus erant;  
 Cum mihi, jam florum curis, hortoque remoto,  
 Opprimit incautus lumina victa sopor.  
 Jamque soporato proflabam è pectore somnum  
 Clausus & in gemino lumine Momus erat.  
 Ecce mihi virtus multis comitata Deabus  
 Adstitit; heu quantum forma decoris habet!  
 Aurea vestis erat; sortem, si cætera, quæras  
 Vel Dea vel Virgo Numine plena fuit.  
 Forma decens illi, qualem nec suavibus Elisa,  
 Nec gessit Coe Battis amata suo.  
 Ardenti, similes oculi luxere smaragdo,  
 Digni cœlestes inter adesse faces.  
 Talia fronte tulit lucentia sidera Daphne,  
 His oculis, oculos cepit Apollo tuos.  
 Flammeus oris honor qualis, qui nocte fugata,  
 Emicat, & toto lucifer exit equo.  
 Denique quid possim plus dicere? chara Deabus  
 Splendidior virtus omnibus una fuit.  
 Hanc ego cum vidi (quid enim simulare juvabit?)  
 Confiteor casto plenus amore fui.  
 Illa quod est virtus cœlo charissima, chara,  
 Sic etiam: ut cœlo, debuit esse mihi.  
 Hanc vidi, & timui: fecit mihi pulchra timorem  
 Majestas, pulchrâ, pulchrior illa, Dea  
 Usque metu micuere sinus, dum verba dedissem,  
 Hæc bene si memini verba loquentis erant:



O mihi tot virtus votis , precibusque petita ,  
 O paucis solum cognita Virgo viris ?

Quot jam labuntur menses, labuntur, & anni,  
 Te mihi quod cupiam chara videre semel ;

Jam propè confectis sensim juvenilibus annis,  
 Te sine (quid pudeat dicere) mater eram.

Te sine confectans fragilis, mendacia, vitæ,  
 Vivebam, vitæ nescius ipse meæ.

Te contemnebam, nec adhuc ignota placebas,  
 Esse solet tecti nulla cupido boni.

At postquam didici quàm sis venerabilis orbi,  
 Quin potius, quod sis Urbis, & Orbis amor.

Optavi toties laudatam cernere formam,  
 Et cognosse tuas, gaudia nostra, genas.

Ut vidi obstupui, & tenui cum murmure dixi:  
 Quàm bene præcelso est hæc Dea chara polo.

Hactenus : erubuit nostris sermonibus illa,  
 Sicque, verecunda voce locuta fuit :

Quid tibi cum nostra vates pauperrime laude,  
 Nunquid eget laudis gloria nostra tuæ?

Ipsa sibi est virtus pretium aut pulcherrima merces,  
 Ipsa sibi est virtus gloria, fama, decus,

Nil opis externæ est cupiens, nil indiga laudis,  
 Divitias in se continet illa suas.

Nec moveare meos, superiorum gaudia, vultus  
 Quod tibi libertas, fasque videre fuit.

Non mihi tu, sed te, melius tua musa placebat,  
 Quæ socium, socios, qua paret arte, docet.

Huius in imparibus ( si quid tamen illa valebunt )  
 Hæc quoque sint facito jussa notata, metris:

Quis-

Quisquis amicitias socios quoque captat amores  
Naturam propius consulat ille suam.

Naturâ, verum est, certi gignuntur Amici  
Naturâ verus namque creatur amor.

Hicque amor est nexus, fons causa & amicus ab ipso,  
Hoc consanguineum nomen amore trahit.

Quid verò sit quæris amor? vis insita quædam est  
Mentibus, alitibus, piscibus, atque feris;

Hæc ita vis jungit quo nescio fædere binos?  
Sola ut mors vincula hæc, dissociare queat.

Tantus amor, paribus de moribus inter Amicos  
Nascitur, internis, ex animique bonis.

Nam nihil est opibus mentis divinius! aut nîl  
Quod magis affectus excitet, esse potest.

Hosti etiam virtutis inest amor. Illa per orbem  
Regnat, & in Dominos jus habet illa Deos.

Illam etiam absentes, ignotos, morte preemptos,  
Ex auditu etiam cogit amare viros.

Est tanti tantique fuit, tantique (manebit  
Dum mundus) virtus cognita, semper erit.

Par studium, mores similes, mens nobilis ergo  
Sunt ad amicorum vincula paranda satis.

Sed tamen utilitas accedat: firmat amorem  
Hæc, quem virtutis conciliavit honor.

Utile miscendum jucundo est, utile dulci  
Qui miscet, punctum quodlibet ille tulit.

Hæc mihi sic dixit, dubito virtusne Magistra  
An somnus fuerit? sed puto somnus erat.

Quid faciam? media, navem Palinurus in unda  
Deserit, ignotas, cogor inire vias.



Quisquis securos igitur deposcis amores ,  
 Sint tibi virtutis , iussa sequenda, Deæ.  
 Aut sis , aut similem captato te fac Amico,  
 Namque sibi similes omnis amare solet.  
 Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,  
 Et servat studii fœdera quisque sui.  
 Rusticus agricolam ; miles fera bella gerentem,  
 Rectorem dubiæ navita puppis amat.  
 Ex paribus , pariter, studiis junguntur Amici,  
 Et sibi dissimilem numne homo quisque fugit?  
 Oderunt hilarem tristes, tristemque jocos:  
 Sedatum celeres, pectora gnava pigri:  
 Cultus inurbanos, atque immoderata modesti,  
 Vir sapiensque rudes, vir graviorque leves.  
 Mitior, irarum plenos, abnormis amantem  
 Recti, Civilem rusticus, augur anum.  
 Censurasque senes odit generosior ætas,  
 Nec mihi quos vexat gloria stulta placent.  
 Nec te dissimiles fors complectentur Amici,  
 Aspice ! dissimilem nec sibi turtur amat.  
 Ergo age, quos captas, sociorum imitabere mores,  
 Sic cadet in nexus, ille vel ille tuos.  
 Scilicet est aliquis clemens, clementia fida,  
 Fac comes ut factis, vel tibi semper eat,  
 Est rudis esto rudis ( poteris te fingere tantum )  
 Si pius esto pius, si gravis, esto gravis.  
 Estque tenax recti, recti te ostende tenacem:  
 Est lætus, lætus tu quoque semper eris.  
 Venandi studio, quem captas, fortè tenetur?  
 Ad nemus ingenium te quoque pellat idem.



Forſan ad ingenuas perſape revolvitur artes  
 Inſcius? ut rerum doctior eſſe queat?  
 Tu quoque fac pariter; quia ſic capiuntur amici,  
 Si facies; voti poſtmodo compos eris.  
 Inſuper obſerves an ſit ſtudioſus, amansque  
 Laudis? & an pectus gloria vexet iners?  
 Si capitur titulis laudum; laudabis abundè  
 Crede vel immeritas laus capit ipſa feras.  
 Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores,  
 Si tamen horteriſ fortius ibit equus.  
 Laudatas, homini, volucris Junonia pennas  
 Explicat, & formâ muta ſuperbit avis.  
 Delectant homines etiam præconia magna,  
 Præcipuè, quos jam docta ſenecta premit.  
 Vidi ego canitiem deceptam laudibus, ille,  
 Qui capit, captum riſerat arte ſenem.  
 Quo magis ad ſocium cupidorum inſurgito laudes,  
 Non emitur pretio laus tribuenda tuo.  
 Nec tamen excedas, laudem decet eſſe modeſtam,  
 Sed neque laus omni tempore dicta juvat.  
 Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines  
 Certum, ſi neſcis, omnia tempus habent.  
 Nec ſemper credenda ceres fallacibus arvis,  
 Nec ſemper dubiæ concava puppis aquæ.  
 Nec ſemper ſacras reddunt oracula ſortes,  
 Ipſaque non omni tempore ſana patent.  
 Eligito tempus, ſociorum facta probandi,  
 Exeat adverſa ne tua navis aquâ.  
 Temporibus medicina valet, data tempore profunt,  
 Et data non apto tempore vina, nocent.

Aut dum se laudat prodest laudare sodalem,  
Aut malè dum nocui læditur ore viri.

Aut opus illustri dignum si fecit honore,  
Illum magnificis effer in astra sonis.

Profuit absentes etiam celebrare sodales,  
Quæ venit, absenti laus, benè pura venit.

Vix citrà palpum præsens laudatur, & inde  
Laudibus haud poterit semper inesse fides.

Absentes igitur fratres fer ad æthera laude;  
Laus placet ista magis, laus capit ista magis.

Ut referatur honor, quo tu dignaris Amicum  
Absentem, media est, turba tenenda tibi.

Illic tu laudes, illic præconia fundas,  
Hic aliquis, per quem laus referatur erit.

Quidquid id est, seu tu laudem fugientia verba,  
Sive voces auram; credito numen habet.

Nam quid, ut est sociis absentibus illa relata,  
Protinus in medios influit alta sinus?

Influit, accendit, lætòsque perambulat artus,  
Et sapit immemorem nec finit esse sui.

Non tua crede mihi, referant si dicta sodales,  
Non tua lethæis verba dabuntur aquis.

Quisquis is est (comperta cano) capietur, amoris,  
Moxque dabit captus pignora certa, sui.

Plus tamen indiciis certis testata voluntas,  
Atque amor ostensus laudibus esse solent,

Laus animos, animi, castos amor excitat ignes,  
Laus mel, sed secum spicula gestat amor.

Quæ tamen infligunt hæc dulcia spicula, grata  
Ut puto, plus laudis, vulnera melle placent.



Consule si dubitas aliquem, cui suavis Amici  
In medio fidus pectore regnat amor.

Quid nisi (dixisse hoc tu olim perhiberis Orestes)

Dicet se focii vulnere penè mori?

Disce igitur, credasque levis plus laudis, amorem

Esse sono: *quisquis vult ut ametur amet.*

Non dubiis ostensus amor studiisque notisque

Crede mihi, (mea sunt dicta probata) capit.

Non usus, nec opes, nec laus, nec munera tantum

Quantum, si semel est cognitus ardor, agit.

Hinc labor haud minimus sit jam te aperire sodali

Ut tuus ex illo perspiciatur amor.

Sæpe potes cultos illius adire penates,

Quæque illi placeant verba secunda loqui.

Jam modò susceptos pro illo memorato labores,

Quidque mali, aut fructus cœperis inde refer.

Et quæ non noceant tibi, si pandantur Amico

Pectora, quæ cælant, abdita verba loqui.

Seu bona sive mala est de capto fama sodali,

Utraque sit verbis prodita fama tuis.

Interdum plenis mittatur Epistola verbis,

Et Domini studium, consiliúmque petat.

Interdum veniat variarum conscia rerum,

Tunc etiam officiis plena sit illa tuis.

Blanditias simul illa tuas, imitatæque amantum:

Verba ferat, socio chara futura tuo.

Scripta animos rapiunt, blandè qui scribere novit,

Ille sibi multos conciliare potest.

Littera Cydippen pomo perlata sefellit

Inscia verbis est capta puella suis.



Denique si quis sanæ voluntatis acat in unam ;  
 (Hoc quoque non leve pignus erit)

Tu loca , si possis , toto prima sodali  
 Preferas ; hac mensura licet arte place.

Ingenium observes , non moveatur ? an illa ,  
 Quæ Patriæ fecit , si restantur , amet ?

Si fortassis amat , laudes meritumque sodalis ,  
 In patriam ; in socios commemorare juvat.

Et juvat obsequium ; si quem vincere laboras  
 Obsequere , & victrix mox tua navis erit.

Vincere cum possis interdum cede sodali ,  
 Obsequii hoc blandi , non leve munus erit.

Cedendum de juré suo persape sodali est ,  
 Jungere qui fœdus , vel retinere cupit.

Parva etiam , crebrò , sociorum facta probabis ,  
 Ut pars sit voti nulla caduca tui.

Non facile adversum tu quidquam sensa loquaris  
 Ejus , quem tibi jam demeruisse cupis.

Arguet arguito quidquid probat ille probato  
 Quod dicit dicas , quod negat ille neges.

Sic tamen ut pietas maneat ratioque decori  
 Salva , nec assensu hoc lex violanda Dei est

Stultus ab obliquo , qui cum discedere possit  
 Pugnat in adversas ire natator aquas.

In rebus minimis , multum vigilare juvabit ,  
 Ut studium possis exhibuisse tuum.

Copia si detur , famam cumulare , decusque  
 Et famam prodest , & cumulare decus.

Quod si forte tuum studiumque operamque requirat  
 Hic quem sollicitis cassibus usque petis ;

Promptus & in v[er]itate amorem,  
 Explebis partes protinus.  
 Quàm potes à lingua similes are proci.  
 Hoc quicumque facit mandu[cat].  
 Officiis paribus si quis amico,  
 Hujus mox victas se ille manus.  
 Deniq; quidquid id est, quod prodere possit amorem,  
 Hac re, animos, fociis testificare tuos.  
 Mox, ubi quem à socio cognosci poscis, amorem,  
 Ex sibi non dubiis noverit ille notis;  
 Ipse sibi dicet nostro est hic dignus amore,  
 Qui nos tam fidè, & tam reverenter amat.  
 Ipse sibi dicet eùm viderit ille labores,  
 Tam benè qui servit serviat ille mihi.  
 Est quoq; amicitiæ mater pulcherrima virtus,  
 Quem non virtutis vincere possit amor?  
 Virtus est vitium fugere: hac quicumque decorus  
 Esse amat, è vitiis exerat ille caput.  
 Non gerat inflatos tumido sub pectore fastus,  
 His odiosa magis res nihil esse potest.  
 Invidiâ careat socios qui captat amicos,  
 Non facis ad nostram livor inique fidem.  
 Este procul lites pravæque injuria linguæ,  
 Fraus absit, vacuum pectus habete doli.  
 Ne sis rimarum plenus, secretâque serves,  
 Quæ semel accepit semina terra, tegit.  
 Eximia est virtus præstare silentia rebus,  
 At contra gravis est culpa tacenda loqui.  
 Vindictam fugias, iram decet esse modestam,  
 Candida pax homines trux decet irâ feras.



Prudens crede mihi fallit moderatio mentes,  
 Asperitas odium, sævaque bella parit.  
 Odimus accipitrem, quia vivit semper in armis,  
 Et pavidum, solitos in pecus ire, lupos.  
 Excipias apibus telum post tela placebunt,  
 Nunc odium, quia sunt turba nociva, ferunt  
 Sit procul omne nefas: ut ameris amabilis esto,  
 Et quacunque potes dote placere place.  
 Diligitur nemo, nisi quem virtutis honestas,  
 Commendat vulgò, conspicuumque facit.  
 Ergo, dum virtute paras placuisse, memor sis,  
 Nunc etiam multos utilitate capi.  
 Esca capit volucres, pisces retinentur ab hamis,  
 Oculit extremis, quos levis esca, dolis.  
 Et quis non lucrò capitur? sua commoda quemque  
 Delectant: mors est lenis, habere nihil.  
 Aureæ si jam nunc tendantur lina per orbem,  
 Esse statim quivis piscis in orbe volet.  
 Quisque quid expediat quærit, non quid sit honestum  
 Et cum fortuna statque, caditque fides.  
 Nec facile invenies multis in millibus, unum,  
 Virtutem pretium, qui putet esse sui.  
 Forsitan expectas, ut te ad consortia ducam,  
 Et quæris monitus hac quoque parte meos?  
 Finis amicitia est convictus: præcipit hoc in,  
 Ut sis jucundus nostra Thalia, choro.  
 Quàm placet arguto quæ in sylvis concinit ore  
 Ales; tam latus voce, animoque placet.  
 Sive igitur mixto vario sermone vicissim,  
 Cum sociis fallas, decipiásque diem.



Seu fora vos teneant, seu campus, sive penates,  
 Seu recreet studiis læta Dianna suis;  
 Seu vos excipiant convivium, sive labores  
 Conducant, seu sit longa terenda via:  
 Seu vos oblectent lusus; seu seria, vestros  
 Detineant animos, seu genus omne joci.  
 Semper ubique tuo, suavem, lætúmque sodali  
 Te exhibeas; vir qui est lætis, ubique placet.  
 Os tibi sit vario semper sermone disertum,  
 Mens sit jucundi causa, feraxque joci.  
 Urbani mōres, placidusque in pectore sanguis,  
 Te doceant fidō velle placere tuo.  
 Blanditiæ comites tibi erunt, sermōque, vigōrque  
 Assiduò partes turba secuta, tuas.  
 His tu militibus vinces hominésque, Deósque  
 Hæc tibi si demas commoda, nullus eris.  
 Perlege quidquid id est, quod scripsi, fortè juvabit,  
 Quod si non profunt singula, multa juvant.  
 Perlege: nec pudeat juvenem legisse Poëtam,  
 Utilia, & Juvenes sapius, arma damus.  
 Nondum, confiteor, mihi sternutavit Apollo;  
 Quæque dedi, monitis, sum minor ipse meis;  
 Sed tamen accedas, tamen inspice, jussa, vetustis  
 Eruta sunt, quæ nos scribimus, ista cedris.  
 Eruta: sed mihi, quàm fuerat labor improbus iste!  
 Crede fuit, scripto carmine, majus opus.  
 Pars superat, cæpti pars est finita laboris:  
 Hic jam rupta liget fila Thalia lyra.



## LIBER SECUNDUS.

### DE AMICITIA RETINENDA, ET COLENDÆ.

*Qua ratione coli, & conservari debeat  
Amicitia conjuncta, pluribus hinc monitis  
ostenditur.*

**H**Actenus : & qui sint, & qua ratione sodales  
Jungendi, nostrum dicere munus erat.  
Nunc tibi conjuncti qua sint ratione colendi,  
Dicere non cultæ, molior arte, lyræ.  
Nunc mihi, si quando, seu te Parnassia Tempe,  
Sive tenet Delos numine clara tuo ;  
Phœbæ fave : namq; hanc, quâ scribere sumpsimus artē  
Vix teneo ; & monitis sum minor ipse meis.  
Ergo ades ! & vati, precor, & succurre monenti,  
Conciliet Numen, nomen utrumque, tuum.  
Phœbus adest : sensi Phœbi pharetramq; lyræque,  
Per sua, jam nosco signa, vocatus adest.  
Ergo dum fas est superis præsentibus uti,  
Utamur ; facilis tunc labor esse solet.  
Non minor est virtus junctum retinere sodalem,  
Quam fuit illius conciliasse fidem.

Non



Coelesti accendit ab igne



*Si statuas sensûs expertes, vivere flammâ,  
Cæli furtivâ doctè Prometheus facis.  
Dic, mihi quid faciet socialis flammâ, sodales  
Si facibus castis usserit illa pios?*





Non tamen abjicias animos, retinebimus illâ,  
 Qua nobis fidas junximus arte manus.  
 Me Duce junxisti, firmabis me Duce nexus,  
 Quas reperi, constans ipse tuebor opes.  
 Ut posses aliquem tibi devincire sodalem,  
 Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.  
 Ut possis autem victos retinere sodales,  
 Omnia: Dux, miles, navita, puppis ero.  
 Si cui vis igitur majus dare vulnus amoris,  
 Me, precor, infligas milite vulnus idem.  
 Sunt mihi, quæ possint perstringere corda pharetræ,  
 Si pia fraternus prælia poscat amor.  
 Si cui fors hæere cupis constanter Amicus,  
 Nec scis, qua socius re teneatur amor.  
 Accipe: quæ fas est, tibi nunc præcepta ministro  
 Vilia, sed quamvis vilia disce tamen.  
 Quæ conjunxit res, eadem conservat Amicos;  
 Sic etiam effectus sol fovet ipse suos.  
 Ex quibus in mundo res enascuntur, iisdem  
 Se conservare ex fontibus usque solent.  
 Qua semel increscens erupit origine, rivos  
 Indefecturos accipit inde, latex.  
 Quâ tenera in terra radices virgula fixit,  
 Hanc, etiam ramis aucta subinde teget.  
 Quasque tegit segetes, enutrit, & educat arvum,  
 Quodque semel peperit, sustinet arbor onus.  
 Sic & amicitiam (namque est amor hujus origo)  
 Attinet idem, qui conciliavit amor.  
 Non secus ac flammæ ex se ortas, flamma tuetur:  
 Candida, quæ junxit, vincula servat amor.

Ille tuos ergo semper conservet Amicos,  
 Quodque pia fecit cuspide, vulnus alat.  
 Ille tibi leges retinendi dictet Amici,  
 Ille tibi castas præferat usque faces.  
 Ardeat, ut nullò decrescere tempore possit,  
 Et sit amicitia causa, cibisque tuæ.  
 Ardeat, ut vigiles in templis lampades ardent;  
 Ut pia fumosis addita thura rogis.  
 Quisquis es ardentem, ne extingui possit, amorem  
 Quà fas est castis ignibus usque fove.  
 Sed nescis, quærisque puto, qui pectora bina  
 Urit, qua constans ardor alatur ope?  
 Accipe, quidquid id est, tamen accipe; phyltra mini-  
 Phyltra sed humano, phyltra probata Deo. (stro,  
 Non hæc Æmonias sunt phyltra parata per artes,  
 Non hæc cum magico murmure fecit anus.  
 Non hoc Circææ, non hoc Medeides herbæ,  
 Non hoc confecit Thessala mulier opus.  
 Ipse Deus (vidit, quem tunc præsepe gementem,  
 Cùm fuit ex magno Numine factus homo)  
 Ipse inquam Deus hoc fecit medicamen amoris,  
 De trabe cùm sacra triste pependit onus;  
 Cùmque suas vidit plantas livere catenis,  
 Terga flagris, spinis tempora, colla cruce;  
 Fecit - - & erravi! cupiebam dicere: Phyltrum hoc,  
 Venerat in terras ipse probare Deus.  
 Hei mihi Divinum, sed dum probat in cruce, Phyltrū  
 Per phyltrum nobis concidit ipse lytrum.  
 Si non scis hoc est, socii dilectio fratris,  
 Hæc firmat junctam tempus in omne fidem.



Hoc ego sacratò socialia fœdera phyltrò  
 In canos, testor, posse manere dies.  
 Tu tamen ut discas, hæc sit dilectio qualis,  
 Advertas aures, in mea verba, tuas.  
 Dilige sic socios, sicut te diligis ipsum,  
 Mox fructum nexùs experiere tui.  
 Dilige sed constans: anima est constantia rerum,  
 Hac stat stante fides, hâcque cadente cadit.  
 Virtutem, gemini constantia nutrit amoris,  
 Ut nutrit vernas uvidus imber opes,  
 Lenta quidem est, lentòsque facit constantia passus,  
 Sic tamen immensas conficit illa vias.  
 Solibus à primis, animos sine labe, juventæ  
 Ducit in extremos, illabefacta dies.  
 Quid quod in adversis firma est? nec frangitur ullis  
 Casibus, alternas nec timet illa vices.  
 Qualiter in medio pendent culmine rupes,  
 Emoveat è proprio nulla procella loco:  
 Qualiter irato deprensa à turbine, turris  
 Saxeæ, ventorum despicit usque minas:  
 Ipse licet validis Boreas immurmuret alis,  
 Et glomeret mixtas auster iniquus aquas:  
 Stat tamen immota hæc turris, nec frangitur austro,  
 Nec Borea, aut tectis fâta minante noto:  
 Taliter in duris etiam constantia rebus  
 Perstat, nec casus sorte rotante, cadit.  
 Eja igitur constanter ames, nec fœdera solve,  
 Cernens, dum socias deserit aura rates.  
 Quid valeant focii rebus cernuntur in arctis,  
 Fors solet obstrictam versa probare fidem,

Et decet, & debes socium recreare jacentem,  
 Verbò, opibus, studiò, consiliòque simul.  
 Cùm magis ostendit se illi fortuna novercam,  
 Tum magis auxilium sentiat ille tuum.

Turpe erit in miseris, veteri tibi, rebus amico  
 Auxilium nulla parte tulisse tuum.

Turpe referre pedem nec passu stare, tenaci,  
 Turpe laborantem deseruisse ratem.

Quidquid id est, seu res, socium, quæ plena pericli est,  
 Vexet, communes seu ferat ille vices.

Quò licet auxiliò, fratris mala mæsta levato,  
 Fidam projectò neve negato manum.

Hic amor, hæc pietas saxo vel in hoste probatur,  
 Dum quis, in adversis id, quod amavit, amat.

Quin etiam in partem socii venisse pericli  
 Debes, si similis venerit usus opis,

Nec solum debes ipsum discrimen adire,  
 Et pariter Pyladen velle levare tuum;

Quamvis & debes ipsum discrimen adire,  
 Et pariter Pyladen velle levare tuum.

Sed debes etiam tristem succumbere mortem,  
 Et firmare piam sanguinis amne fidem.

Occubuit Patroclus pro culto latus Achille,  
 Sic finem, cæsus vulnere, cæpit amor.

Si verò rebus fortuna secundet Amici,  
 Afficiat vestros fors, precor, ista sinus.

Non secus, ac proprio, Fratris læteris honore  
 Illius, & vitæ commoda, vestra putes.

Quàm genitor, parto, natorum gaudet honore,  
 Quàm gaudet clemens uxor honore viri:

Tam



Tam te delectet chari fortuna sodalis,  
 Tamque honor, utilitas, gloria, fama, decor.  
 Absit ut invidias, aut obstes, ista relinque  
 His, quos alterius fama, decusque premit.  
 Si potes obsequiô, studiô, mente, ore labore,  
 Te gratum socio testificare tuo  
 Jussus adesse domo, jussâ maturius horâ  
 Fac semper venias, nec nisi serus abi.  
 Rusque vocat socius; dic ibo; linque laborem.  
 Et res promissum nulla moretur iter.  
 Nec grave te tempus, sitiensque canicula tardet,  
 Nec via jactato, candida facta, gelu.  
 Tu socio quodcunque tuo tentare libebit,  
 Cedas: obsequiô plurima vincit amor.  
 Tu istas obsequii; sed & has, quas dicere mitto  
 Partes, ut debes officiosus agas.  
 Obsequium dulces, retinetque paratque sodales  
 Et geminos fructus utilitatis habet.  
 Obsequiô se prodit amor. Testatur amorem  
 Quolibet obsequii munere quisquis amat.  
 Profuit & studio sociis prodesse fideli,  
 Hoc poteris junctam constabilire fidem.  
 Usus si veniat nomenque decusque tuendi,  
 Et nomen constans, & tueare decus.  
 Annue jucundis si quid rogat ille petitis,  
 Teque simul promptum sedulitate proba.  
 Quod petit ille neges si sit cum crimine junctum,  
 Si non, quid fuerit turpe negare, vide.  
 Ne tamen offendas obliquè lude petita,  
 Hac avium, venans, decipit arte gregem.



Et cave ne quidquam, quò læditur ille, sodalem  
 Fortè roges, quidquam neve rogatus agas.  
 Id quoque prævideas, ne cujus criminis author  
 Sis socio, vetitum nec petiisse velis.  
 Utile perquirant alii, tu semper honestum  
 Expete, sic casti regula amoris habet.  
 Quodque tui causâ faceres, hoc faxis Amici  
 Causâ, non parvum, hoc, gluten amoris habet.  
 Sed tu cuiçunque est retinendi cura sodalis,  
 Officiis firmes, fœdera nexa tuis.  
 Officii leges numero comprêdere non est,  
 Hæc, numeros, superat lex numerosa, meos.  
 Quas tamen attexam leges, has discere primum;  
 Tum juvat in fructus vertere velle bonos.  
 Officium est suadere sequi, quidcunque redundat  
 In fratris laudes, commoda, nomen, opes.  
 Officium simile est, hoc dissuadere redundat  
 In mala quod fratris probra, pericla, necem.  
 Officium est arcana tuæ concedere mentis  
 Illi, cum quo unum jam modò pectus habes.  
 Cerne cui fidas, temerè committere cuique  
 Non tutum est animi sensa tacenda tui.  
 Huic tamen indiciis multis, signisque probato,  
 Emunire tui pectoris ima potes.  
 Quàm benè triticeum semen concreditur arvis,  
 Quod cum sæcundo sænore reddet ager;  
 Casibus experto, tu tam benè crede sodali  
 (Quæ lateant) mentis semina clausa tuæ.  
 Contra in qua lappæ & steriles dominantur avenæ,  
 Occupat hoc, media parte siligo, solum

Sic medium ( si fortè times ) sit pectus apertum .  
 Fratri , quàm multis hæc , bene tuta via est !  
 Officium est suppar , non dissimulare sodali ,  
 Si quidquam contra fasve piùmve facit .  
 Cum secus , ac justique petit , ratióque decori .  
 Se gerit , ore pio , corripiendus erit .  
 Corripe , sed monitor ( quid enim non mollit amoris  
 Vis ) precor ut Pyladis sis in amore tui .  
 Nec tibi frons , nec sit vultus , nec verba severa ,  
 Nec nisi cum censor , censor amandus eris .  
 Sit procul hinc gravior censoris virga Catonis ,  
 Hinc procul immodico percitus igne furor .  
 Spicula si qua vibras , minitantibus addita verbis ,  
 Spicula mellifluis sint ea tincta favis ,  
 Namque velut succum ( quamvis juvet ) æger amarū  
 Respuit , atque odio verba medentis habet :  
 Sic animus vitiis æger , contemnit amaras  
 Voces , atque odio verba monentis habet .  
 Quid mirum est ! omnes homines horremus amara .  
 Et sua læsuris gratia rebus abest .  
 Odimus in dumis spinas , in floribus ipsos  
 Vermes , in pluviis fulmina , febre moras ,  
 Tu tamen asperior si res sic postulat esto ,  
 Sæpe creat molles aspera spina rosas .  
 Asper equus duris contunditur ora lupatis ,  
 Temperet ut cursus , mitior inde , suos .  
 Et quæ luxuriat nimum , conscinditur arbor ,  
 Ut plures fructus , falce putata , ferat .  
 Et tua , quando opus est possunt esse aspera verba ,  
 Aspera , sed quamvis aspera , grata tamen .



Aspera, grata tamen fient moderatio si te  
 Dirigat, & monitus illa Magistra tuos.  
 Nil nimium violentus agas, labor impete caeco  
 Qui venit, optatis fructibus usque caret.  
 Sit procul ira igitur nempe hic extinguit amorem,  
 Ignis, & in cineres nobile vertit opus  
 Ut suus ignis inest iræ, suus ignis amori,  
 Sic amor igne alio, quam caret ira calet.  
 Nec præceps animo, justas licet, exige pœnas,  
 Feryori tacitus fac moderare tuo.  
 Nec reprehende unquam Fratrem præsentibus illis  
 A quibus ex animo gestit amatque coli.  
 Sint procul arbitri, mediam correptio turbam  
 Odit, & in tacito plena salute loco est.  
 Ergo age quæ dedimus socios præcepta monendi  
 Si lubet in sociis experiare tuis.  
 Hæc ego cum canerem subito manifestus Apollo  
 Movit inauratæ, pollice fila lyræ.  
 In manibus nexus, sacris indutæque plantis  
 Nexus erat, vates ille videndus adest.  
 Is mihi Fraternali dixit Præceptor amoris,  
 Quæ damus inscitis infere jussa modis.  
 Admonitum vitii socium, laudare subinde  
 Est opus, astrictus ne minuatur amor.  
 Utque facit Medicus: qui postquam vulnerat ægrum,  
 Colligat, & miti vulnera placat ope.  
 Sic bene correptum, grata mulcere sodalem  
 Laude (levant laudes pectora læsa) juvat.  
 Sectentur laudes, pretioso munera passu  
 Munere placari quælibet ira potest.



Munera crede mihi placant hominésque, Deósque  
 Placatur donis Jupiter ipse datis.  
 Quid faciat sapiens? stultus quoque munere gaudet,  
 Magnum, nescio quod, munera numen habent.  
 Nec socium, jubeo, pretioso munere dones  
 Parva, sed è parvis, si sapias, apta dato.  
 Afferat aut vites, aut quas Amaryllis amabat  
 Castaneas, servus, rustica dona, puer.  
 Poma sub ætatem cum formosissimus annus  
 Mittito, vel Syriis grata volema Diis.  
 Ista peregrinis, poteris tibi dicere missa  
 Hortis, in media sint licet empta via.  
 Quod si non placeat donis his vilibus uti,  
 Per me (quis prohibet?) grandia dona dato.  
 Dona, puto, potis est inter majora referri  
 Mensa, sit hæc socio, semper aperta, tuo.  
 Mensa tenet multos, & multos colligit illa,  
 Illa mali est crebrò, Principiùmque boni.  
 Sint tibi, (quæ apponas) lectissima vina falerni,  
 Sintque peregrini, condita vasa meri.  
 Et simul artifices doctus componere mensas,  
 Doctus & ex nihilo fercla creare coquus.  
 Crede mihi hæc ætas quatuor sibi numina fecit,  
 Nunc Deus est venter, mensa, culina, coquus.  
 Mensa, merúmque; coquus, sunt optima vincula, quemque;  
 His modò jam vinclis demeruisse potes.  
 Sed non est eadem mens omnibus. Iste tenetur  
 Officiis, istum præmia magna tenent.  
 Hinc tibi procures, sociis quæ tempore dones  
 Præmia, si data sint tempore, dona juvant.

Hic locus est illis , quæ tu benefacta sodali  
 Præstas , nam munus sunt benefacta potens.  
 Fac benè : sed fac clàm, nec opes, nec danda negato  
 Æra , miser paribus si caret ille bonis.  
 Hæc tu cùm donas , vultu donabis alacri ,  
 Nec vultu , tristis, destrue dona tuo.  
 Quæque rogant Fratres animo promitte libenti,  
 Si modò promissis stare subinde potes.  
 Sed ne promissis longos interjice soles ,  
 ( Qui citò dat nôsti, bis dare dona solet )  
 Ne quod non dederis , semper videre daturus ,  
 Sic Dominum sterilis sæpe fefellit , ager.  
 Tempus erit , tibi cùm sit opus , benefacta referre  
 His compensandis adjicienda mora est.  
 Si cui nam meritum , longo post tempore , reddas ,  
 Quàm factum est; labor hic muneris instar erit.  
 Hactenus hæc Phæbus Phæbo parete monenti ,  
 Certa Dei sacro est hujus in ore fides.  
 Ad propiora vocor : quisquis servare sodales  
 Expetis , hæc animis imprime dicta tuis.  
 Illos majori fermè dignamur amore  
 Quorum non nimium est relligiosus amor,  
 Qui modò contendunt, modò rursus vîncla relaxant,  
 Et modò postponunt, & modò rursus amant.  
 In promptu causa est : quia per contraria ( flamma  
 Sic solet ob frigus crescere ) crescit amor.  
 Ut probet infantis suavissima mater amorem ,  
 Negligit , & misero nec bona verba facit.  
 At puer , ut redeat maternas rursus in ulnas ,  
 Matrem blanditiis conciliare studet.



Et studet, & plorat, complectitur, atque laborat  
 Figere maternis oscula blanda genis.  
 Sic tu, quem magis es certus retinere sodalem,  
 Neglige, per tempus, nec velut ante, cole.  
 Ille simultatis (sed sit modò ficta simultas)  
 Ex vobis causam discere fortè volet?  
 Si quid habes, illi, vitio quod vertere possis,  
 Hic levibus verbis exposuisse juvat.  
 Integer ex omni fuerit si parte, tuamque  
 Tentabit rursus conciliare fidem;  
 Eja age mox dextram sociæ committo dextræ,  
 Et dic Polluci talia verba tuo:  
 Quid facis? ô nobis semper fidissime! quid vis  
 Nunquam distractam conciliare fidem?  
 Quid dubitas de me? phæbus prius astra relinquet,  
 Luna prius Phæbi desinet esse soror;  
 Quàm videat nexûs nostri conjunctio finem,  
 Et tener in nobis dissoluatur amor.  
 Tantû amor hinc crescet; quantû tû flumina crescant  
 Per freta divisæ cùm sociantur aquæ.  
 Cùm vitis bellum: cum culto pax sit Amico,  
 Et jocus, & causas quidquid amoris habet.  
 Si fueris præsens, da mutua verba libenter.  
 Sîn absens, scriptis multa loquare notis.  
 Et tua plena fide cessabit Epistola nunquam,  
 Ire per alternas officiosa vices.  
 Sit, rogo, convictus tuus almus, & intimus illi,  
 Quem tecum simplex vivere cogit amor.  
 Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba,  
 Effugiant voces, verba molesta, tuæ.



Sint castigati mores , sit lingua disertata ,  
 Ipsa etiam Nymphis lingua diserta placet.  
 Non formosus erat , sed erat facundus Ulysses ,  
 Et tamen æquoreas torfit amore Deas.  
 Sit tibi idem studium , mos idem , eadè que voluntas ,  
 Sit concors sensus , diffidiò que vacet.  
 Non facile adversum sociorum effata loquare ,  
 Sed magè quod Pylades dixerit ipse , probes.  
 Et super asserto proprio contendere multum  
 Noli , sed sociis plurima cede tuis.  
 Cede repugnanti , cedendo victor abibis ,  
 Hac etiam victor Fabius arte fuit.  
 Hannibali si non cessisset Fabius ; orbis  
 Gloria , vel superùm Roma ruisset opus.  
 Verba potes fratris crebrò mala ferre silendo  
 Et tacitus tristes dissimulare jocos.  
 Acrius , ac deceat , si te tamen ore laceffat ,  
 Non juvat hos tacitus dissimulare jocos.  
 Namque novam invitat modo facta injuria , verbò ,  
 Quando calet si sit , non reprehensa gravi.  
 Nec facile iratos , verbis accende sodales ,  
 Verbosas lites , jurgia que orta cave.  
 Jurgia succendunt malè commutata furorem ,  
 Iraque , more ignis , plus agitata calet.  
 Offendit placidos repetita injuria cervos ,  
 Irritata nocens bellua sæpe fuit.  
 Si taceas , positam socii miraberis iram ,  
 Namque ea materiâ deficiente perit.  
 Vidi ego jactatas motâ face crescere flammam ,  
 Et vidi nullo concutiente mori.

Nec dederis cæptam spatiosum tempus in iram,  
Sape simultates ira morata facit.

Non facilè adversum socios admitte querelas,  
Nec contra socios ipse querare tuos.

Utraque amicitia res est inimica, fidemque,  
Utraque res junctam dissociare potest.

Quod juvat exiguum est: plus est quod lædit; Amici  
Præponant animo multa ferenda suo.

Non juvat in sociis illos reprehendere nævos,  
Quos poteris salvâ dissimulare fide.

Nec, si te levius quandoque offendit amicus,  
Avertas animos protinus ipse tuos.

Nec levis, in tempus, si vos disjunxerit ira,  
Ira erit hæc longâ continuanda morâ.

Nam mora cognatas foveat si longior iras,  
Crescet, & adjunctam diffuet ira fidem.

Post aliquot solis regnans offensio luces,  
Officiis iterum sit reparanda tuis.

Oprime dum nova sunt, fidei, mala semina læsæ,  
Et tuus incipiens ire resistat equus.

Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,  
Et validas segetes, quæ fuit herba facit.

Quæ nunc in latum frondens se fundit oliva,  
Quo posita est primùm tempore, virga fuit.

Dum novus in viridi coalescit cortice ramus,  
Concutiat tenerum quælibet aura, cadit.

Post aliquot menses virga hæc durata resistet,  
Firmaque adoptivas arbor habebit opes.

Sic longo teneri succrescunt tempore rami!  
Iraque sic longo tempore major erit.



Quo magis ô quisquis vis conservare sodales!  
 Quæ possint fratris lædere corda fuge.  
 Cùmque nihil citius socios offendere possit,  
 Quàm, quo sunt clari, si violetur honor;  
 Tu nunquam violes: sed si potes adjice majus  
 (Quæ sociùm capiat pectora læta) decus.  
 Deniquè qua valeas jam re retinere sodales,  
 Nil fateor, possum dicere præter; ames.  
 Jam vobis socij, populus genialis amantùm;  
 In sua quos fidus castra vocavit amor:  
 Detur inoffensæ spatium procurrere vitæ,  
 Et regnatura semper amore frui.  
 Vivite: nec vobis unquam sit finis amandi  
 Et foveant longi vulnèra vèstra dies:  
 Odit amor finem. Quis enim sit finis amoris?  
 Ille modum votis non finat esse tuis.  
 Vivere se juret, tamen hunc non vivere credam,  
 Qui trahit hos viduos absque sodale dies.  
 Unicus est homini vivendi fructus amare.  
 Solus amans vixi dicere jure potest.  
 Dii faciant animam bini jungamini in unam;  
 Unaque vita duos, jungat amorque duos.  
 Nec vos canities, nec vos disjungat amara  
 Mors, pede quæ strepitum non faciente venit.  
 Post etiam, quàm summa dies vos solvat utrosque,  
 Perstet, & adjunctus non solvatur amor.  
 Tunc etiam cineres unum miscere sepulchrum  
 Debet, & una soli condere fossa duos.  
 Hoc pietas, hoc vis, hoc jus quoque postulat amoris,  
 Contegat ut socios unica tumba duos.  
 Atque ubi vos tumuli marmor contexerit unum  
 Vèstra (precor Vates) molliter ossa cubent.




*Novit vitare Charybdes.*



*Degeneres vita socios, vitare charybdes  
Nosti, sunt socii scylla fretumque mali.  
Has nisi vitaris Syrtes, mox naufragus ibis  
In stygias scelerum pondere victus aquas.*





## LIBER TERTIUS.

DE AMICITIA DISSOLVENDA,  
ET RATIONE AMICITIÆ DIRIMENDA.

*Quibus de causis, & qua ratione dimittenda, & dissolvenda sit Amicitia.*

**P**Arcite me juncti sceleris damnare sodales,  
Si mea, quod fecit, Musa retexat opus,  
Jungere vos docui, simul & retinere, futuros,  
Erga vos Fratres, tempus in omne pios.  
Jam modò fert animus vestrum dissolvere fœdus,  
Quàmque prius junxi, diffociare fidem.  
Culpa quidem est odiosa, fidem disjungere nexam,  
Me tamen hæc faciet culpa canenda pium.  
Aut quia quod canimus Vates, hoc nîl nisi Sacrum est  
Aut quia versus hos scribere musa jubet.  
Hæc mihi; dum mecum dubitarem scribere carmen,  
Quod Pylades doceat, solvere posse fidem;  
Adsticit: ornatos hederâ redimita capillos,  
Myrteâque in celsò vertice virga fuit.  
Dextra tenet cytharam, strictum tenet altera plectrû  
Lambebat niveos candida palla pedes.  
Ver fuit: & violis humeros ornârat eburneôs  
Ah fuerat violis pulchrior ipsa suis!



Æbalios, vultûs imitatur forma, colores,  
 Et fluit in tenera lactea fronte via.  
 Dens ebori similis casti nascuntur amores  
 In facie, in gemino lumine luna micat.  
 Talis erat cypridi quondam dilectus Adonis,  
 Talis ab Ascanio flumine raptus Hylas.  
 Hanc ego cum video subitus per membra cucurrit.  
 Horror, & in gelido pectore frigus erat.  
 Ter moliri abitum volui, ter verba profari,  
 Sed negat officium linguâque pêsque suum.  
 Tum Dea comovit cytharam, mea lingua locuta est,  
 Et sonitu citiùs de pede frigus abit.  
 Et mihi, ne dubita vates, de fœdere juncto  
 Solvendo brevius scribere carmen, ait,  
 Non nos hoc, sed rupta fides, pietâsque rebellis,  
 Et liber, rupto fœdere, poscit amor.  
 Nec scelus expaveas: scelus est si solvere fœdus,  
 Ipsa per hoc pietas impia crimen erit.  
 Nec quod amor poscit, fuerit contemnere tutum,  
 Namque quibus lædat, tela nocenda gerit.  
 Si jubet ipsa fides crimen: sit perfida pro te  
 Ipsa fides: tu expers criminis omnis eris.  
 Talia dum narrat, terræ defixa gerebam  
 Lumina, dum tollo lumina, nullus erat.  
 Ergo ego docturas, numerosâ in carmina, pennas  
 Arripio, & metricum sponde fluebat opus.  
 Quôdque mihi facili, & musâ tunc scripsimus æquâ  
 Perlege, sunt istis iussa notata metris:  
 Culta catenati dissolvi fœdera nexûs  
 Possunt, si causas res habet ipsa bonas.

Si minus : interea noli dimittere fidos,  
 Dum breve in exiguo marmore nomen eris.  
 Non prius effractas celant navalia puppes,  
 Quam temerè in mediis concutiantur aquis.  
 Nec prius exhorret cultas gladiator arenas  
 Quàm si post centum vulnera, fata ferat.  
 Non prius evinctos curru, divendit arator  
 Quàm nequeant plaustris indere colla, boves.  
 Barbarus ipse fidem sponsam, non deserit ante  
 Quàm fuerit magno crimine læsa fides.  
 Túque fidem Pyladis non ante resolvere tentes,  
 Quàm fuerit magni criminis illa rea.  
 Tunc etiam si crimen amet, virtute relicta,  
 Non subitò socius destituendus erit.  
 Corrige si poteris, si non potes abjice; lentè,  
 Sed sua captivus vincula solvat amor.  
 Causa fidem gravior debet dissolvere, namque  
 Si sine sit causa dissociata, nocet.  
 Si pactam Medea tibi servâisset Jason,  
 Quæ nulla fuerat parte nociva, fidem:  
 Æsoniden fueras natorum sanguine nunquam,  
 Nec proprii partu visceris, ulta virum.  
 Non fateor (nam mater eras, non Tygris, & ursa)  
 Mactâsses natos una noverca duos.  
 At quia, quod dederat, pactum violavit Iason,  
 Pro uno (quod fecit) crimine, bina tulit.  
 Sic est cum sponsæ pallefcit amore Creusæ  
 Erubuit gemino vulnere, læsa fides!  
 Causa gravis fatis est; cultum discindere nexum,  
 Si colat infames, quem colis ipse, dies.



Si plenam sceleris vitam, plenamque probrorum  
 Incipiat, monitus excutiátque tuos.  
 Nec velit ingenuam correptus ducere vitam  
 Sed pede quo cæpit per mala raptus eat;  
 Abjice! quid sanctum, & venerabile nomen Amici  
 Per similes nexus contemnerare juvat?  
 Te virtus junxit, vitium disjungat oportet  
 Non facit ad fidam perfida noxa fidem.  
 Ipse etiam insignem vitiis damnâsset Achatem  
 Æneas Trojæ semen, origo Latii.  
 Thesea Pirithous nunquam coluisset amicum,  
 Turpibus implêsset si sua facta malis.  
 Inter Palantes, splendescere castora, stellas  
 Per Divum Pollux non voluisset opem:  
 Non ita si purus noxæ vixisset Amicus  
 Ut vita stellis lucidiore foret.  
 Quis non degeneres alacris dimittat Amicos,  
 In quæis quod videat, nil, nisi crimen habet.  
 In quibus & pietas, & amor virtusque refrixit,  
 Digna Deo, digna & fædere, digna fide.  
 Nec superest aliud quidquam, nisi nuda decori  
 Forma, odio digna, & funere, digna probro  
 Huicne potes (tanquam cupiens benè) dicere vive?  
 Vive mei, vitæ dimidiúmque meæ!  
 Hujus ab amplexu poteris pendere? scelestum  
 Delicti, à cujus pectore pendet onus.  
 Certè si similes, tu complecteris amicos,  
 Convincam pectus crimen amare tuum.  
 Est odio similis, fido non dignus amore,  
 Tune odium demens pofcis amare tuum?



Alituum Regina suas, si lumen apertis  
 Non valeant oculis cernere, damnat aves.  
 Et malè damnatos alto de robore partus,  
 Ne vivant, rostro dejicit ipsa suo.  
 Qui damnat pater est, & quæ damnatur iniquò.  
 Judiciò est proles, attamen illa perit.  
 Scilicet esse putat non dignos lumine, lumen  
 Dum lippum in propriis partibus esse videt.  
 Sic exploratò naturæ crimine, foetus  
 Rex avium nidis abdicat ore suis.  
 Tu verò tenebras sociorum cernis? amoris  
 Vistamen incensas evigilare faces?  
 Cernis ut à recto in transversum tramite currant!  
 Ut dederint vitiis lintea plena suis.  
 Et poteris tales, ætatem, ferre sodales?  
 Et potes officiis hos coluisse tuis?  
 Absit: amicitias semper decet esse modestas,  
 Nullius insignem labis, & esse fidem.  
 Odimus omne nefas, & ut odimus omne, vel ipsis  
 In fociis opus est, omne cavere nefas.  
 Nec modò consilium est comites vitare scelestos,  
 Verùm etiam si te facta scelesti petant.  
 Quòdque petunt, frustra correpti, quamlibet illud  
 Sit foedum, peragunt mente libente tamen.  
 Hos vel disjungas, vel si retinebis; ut illi  
 Post paulò (indignum est) tu quoque crimen ages.  
 Nam facilè in mores socii migramus Amici,  
 Et nimis in vitium cerea turba sumus.  
 Utque levi Zephyro gracilis mutatur arundo  
 Et nutat modico virgula pulsa noto;

Sic animus noster partem versatur in omnem,  
 Déque bono in præceps, fluminis instar, abit.  
 Credite mortales exemplis perdimur omnes!  
 Plúsq; alii nobis, quàm sibi quisque nocet.  
 Hinc facîle in vitam turpis flecteris Amici,  
 Moxque coles, tota, quæ modo, mente fugis.  
 Jamque (quod haud vellé) crimen proclivis ad omne  
 Implebis focii turpia vota tui.  
 Sed tibi præcipio (si quid tamen almus Apollo  
 Utile mortales edocet ore meo)  
 Præcipio: inprimis similes vitare memento,  
 Et lue pestiferæ pejus, & angustæ fuge.  
 Quis non è timidis ægri contagia vitet,  
 Vicinum, metuens, ne trahat inde malum?  
 Hi tibi sint Syrtes, hique acroceraunia saxa,  
 Hic vomit epotas dira charybdis aquas.  
 Hos nisi disjungas maturo tempore; serò  
 Deflebis nexûs damna futura, tui.  
 Principiis obsta, serò medicina paratur  
 Cum mala per longas invaluere moras.  
 Vidi ego quod fuerat primùm sanabile vulnus,  
 Dilatum, longæ damna tulisse moræ.  
 Annue vati igitur; fociis non annue votis,  
 Quæis tua fors fuerit sollicitata fides.  
 Tune miser cuïdam Patriam violare petenti?  
 Arma feres, scelus est, sed tamen arma feres?  
 Tune aliquem in cælos, terras, hominésque rebellem  
 Turpibus in studiis alleviare voles?  
 Diî procul avertant tantum scelus! ante carinas  
 In mediis cernas pandere vela polis.



Ante ferat cœlum segetes, & sidera tellus,  
Amplius & nullis Doris abundet aquis.

Oprimat agna lupos, & vincat dama leones,  
Et lepori fiant præda cruenta canes.

Ante, precor, tenuous animus vanescat in auras,  
Sisque (quod & fueras) post tua fata nihil.

Quàm tibi mens veniat, sociis tam turpibus uti,  
Hósque animi studio conveniente sequi.

Abjice degeneres, præsentia damna, sodales  
Quid tibi cum paribus si bonus esse cupis?

His etiam accense, si quis secreta revelet  
Sæpe tua, & monitus negligat usque tuos.

Hæc quoque, solvendi nexûs, justissima causa est,  
Hæc quoque noxarum pondus, & instar, habet.

Nam quod amicitix causa est fermè una ligandæ  
Audet sacrilegâ contemnerare fide.

Sacrosancta fides secreti est. Quisquis in illam  
Admittit, contrà jusque piûmque facit.

Quo magis hunc nexu debes removeve fideli,  
Et dare laturis tam rea vînclâ notis.

Quid vas in vanum vis incrustare? quod omni  
Ex lateris patulum parte, foramen habet.

Villica rimofas inducto vulnere testas,  
Abjicit, en summo deserit inque loco.

Plenum rimarum sic tu quoque neglige Fratrem,  
Non facit ad vestram perfidus ille fidem.

Denique si quod erat, juncti fons, cessat amoris  
Quid magis est pronum dicere? cesset amor.

Æquora si cessent, tangentes littora puppes,  
Emerita Tethy, nulla corona teget.



Si cessent torvi juvenilia munera martis,  
 Nullus iò miles voce triumphæ canet.  
 Res etenim finit, dum rerum finit origo.  
 Fonte nec unda suo deficiente fluit.  
 Ipsa etiam longo conjunctio tempore durans,  
 Denique principio depereunte perit.  
 Et perit, ut pereâtque; velis ultrò ipse perire,  
 Si noceat. Nemo est qui sua damna velit.  
 Ergo age damnosos (si quid sapias) abjice nexus  
 Et sensim cultus dissoluâtur amor.  
 Ut levis extinctis paulatim viribus, ignis  
 Deficit: ut ficcis deficit amnis aquis.  
 Ut sensim gravior (neq; enim durabile quidquâ est)  
 Expletur lacrymis, egeriturque dolor.  
 Sic amor adjuncti sensim pellatur amici,  
 Et tanquam furtim decipiendus erit.  
 Menstrua non subitò deperdit cornua luna,  
 Non subitò campus perdit, & arbor opes.  
 Nec subitò perdendus amor pejoris Amici,  
 Nec subitò vinctis exoluendus amor.  
 Nam nocet: & fædus nisi lentè solvere pergas,  
 Hostis erit subitò, qui prius hospes erat.  
 Forte etiam pronas, contemptu excitus in iras  
 Inferet arma tibi perfida temptus amor.  
 Indicetque vigens nullo non tempore bellum,  
 Vinculaque quâ tulerat, mox feret arma, manu.  
 Quod tibi ne eveniat, paulatim dissue nexum,  
 Lentè festinus longius ibit equus.  
 Utque sodalitiî pedetentim desinat usus  
 Charta per alternas desinat ire vices.

Languet officium, vox languet ipsa loquentis,  
 Atque amor, & causas quidquid amoris habet.  
 Et cave congressum male se perdentis Amici,  
 Nec meriti partes sentiat ille tui.  
 Aut hac, aut aliâ (quam non mihi dicere tutum)  
 Solvatur sensim fœdus, amorque viâ.  
 Discite seu crimen, seu vos injuria, seu vos  
 Perfidia, à socia jussit abesse fide.  
 Quidquid id est: culpam tantam licet esse putemus  
 Quanta in te Phyllis Demophoontis erat;  
 Post, tamen à focii, quàm te dissolveris usu  
 Et dederis Pyladi vinclâ liganda novo:  
 Heu caveas facinus (:rogo:) succensere priori!  
 Ultorem ne te sentiat ille suum.  
 Omne quod à veteri te abscedere jussit amico,  
 In læthes totum contumuletur aquis.  
 Sic inimicitias vitabis, & ira relictâ,  
 Hôc poterit focii mollior esse modô.  
 Nec sic insidiæ, nec te maledicta sequentur,  
 Nec probra, nec vetiti jurgia plena mali.  
 Hoc opus exegi: fessæ date ferta carinæ.  
 Contigimus portum quò mihi cursus erat.  
 Vos mihi reddatis tenui pia vota Poëtæ  
 Carminibus docti, Vir Juvenisque meis.

F I N I S.





# N O M I N A O F F E R E N T I U M.

Spectabilis FRANCISCUS SPRINGER S. R. I.  
Eques.

## S P E C T A B I L E S O R D I N E A L P H A B E T I.

EMERICUS PÁLFFI Siculus ex Sede Aranyas.

FERDINANDUS HARTMAN Germanus ex Fogaras.

FRANCISCUS GYULAI Siculus Háromszékiensis ex Sede Kézdi.

IGNATIUS SZEREDAI Siculus ex Sz. Háromság.

PAULUS RAPOTI Ungarus ex Comitatu Albenfi.

JOANNES BOCSKOR Perillustris Siculus ex Sede Csík. Delnens.

O. A. M. D. G.



